

## LIBER

regulae sunt interpositae ad eundem modum foratae & oleo  
 subactae, ut faciliter impellantur, & rursus itorsus re-  
 ducantur, quae obturant ea foramina pleuritidesque ap-  
 pellantur. Quarum itus & reditus, alias obturat, alias  
 aperit & rebratones. Haec regulae habent ferrea choragia  
 fixa & iuncta cum pinnis, quarum pinnarum tactus motio-  
 nes efficit regularum. Continentur supra tabulam fora-  
 mina, quae ex canalibus habent egressum spiritus.  
 Regulis sunt annuli agglutinati, quibus lingulae om-  
 nium includuntur organorum. E modiolis autem fistulae  
 sunt continenter coniunctae ligneis ceruiciabus, pertin-  
 gentesque ad nares, quae sunt in arcula, in quibus axes  
 sunt ex tornio subacti & ibi collocati, qui cum recipit  
 arcula animam, spiritum non patientur obturantes fo-  
 ramina rursus redire. Ita cum uectes extolluntur, anco-  
 nes deducunt fundos modiolorum ad imum, delphini  
 quoque, qui sunt in uerticulis inclusi chalantes in os, cym-  
 bala replent spatia modiolorum, atque ancones extol-  
 lentes fundos intra modiolos uehementi pulsus cre-  
 britate, & obturantes foramina cymbalis superiora,  
 aera qui est ibi eluius pressionibus coactum, in fistu-  
 las cogunt, per quas in lignea concurrunt & per eius cer-  
 uices in arcam, motione uero uectium uehementiore  
 spiritus frequenter compressus epistomiorum aperturis in-  
 fluit, & replet anima canales. Itaque cum pinnae mani-  
 bus tactae propellunt & reducunt continenter regulas,  
 alternis obturant foramina alternis aperiendo ex mu-  
 sicis artibus multiplicibus modulorum uarietatibus so-  
 nantes excitant uoces.